



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Sacerdotale Ad consuetudinem S. Romanæ Ecclesiæ  
aliarumque ecclesiarum ex Apostolic[a]e bibliothec[a]e ac  
Sanctorum Patrum iurium sanctionibus, &  
ecclesiasticorum doctorum scriptis ...**

**Venetiis, 1579**

Forma huius sacramenti quæ sit. c. 3.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40307**

**De sacramento extreme vnctionis**

Et tale oleum vocatur Oleum infirmorum, non cathecumenorum. Unde diligenter aduertat sacerdos, ne vnum pro alio ministret: de Sacra vnct. c. Vnctio. Et si errore hoc fecerit, debet caute suppleri per sacerdotem. de Sacramentis iterandis vel non. cap. i. in fine.

**Forma huius sacramenti, que sit. Cap. 3.**

**F**orma huius sacramenti sunt verba, que profert sacerdos quando inungit infirmum. s. Per istam vnctionem et suam piissimam misericordiam indulgeat tibi Deus quicquid deliquisti per visum, per auditum etc. Et licet varie sint forme huius sacramenti, tamen melius est vti forma S. Roma. Ecclesie, que est mater et magistra aliarum ecclesiarum. **Ex concilio Florentino.** Forma sacramenti extreme vnctionis hec est. Per istam vnctionem et suam piissimam misericordiam indulgeat tibi deus quicquid deliquisti per visum, **similiter in alijs membris**

**Minister huius sacramenti quis sit. Cap. 4.**

**M**inister huius sacramenti est solus Sacerdos, et non alius. Quod patet in predicta auctoritate sancti Jacobi. cap. 5. vbi ait. Inducat presbyteros etc. dist. 5. Sed queritur, et cap. sequen. Nec est de necessitate, quod sint plures sacerdotes presentes. sed vnus solus cum clerico potest sacramentum conferre. De verbo. signifi. ca. que sunt. Si tamen sint plures sacerdotes melius est. Et ille qui inungit, debet dicere verba, et ceteri respondere, et assistere, et pro infirmo orare.

**De effectibus huius sacramenti. Cap. 5.**

**E**ffectus huius sacramenti est multiplex. **Primus** est consolidatio spiritualis debilitatis per peccatum inducte. Dicit enim S. Tho. q. talis vnctio dicitur que datur spiritualis sanatio, quia datur contra quandam inhabilitatem, vel ineptitudines, que in nobis remanserunt ex peccato actuali, vel originali: vel venialium peccatorum remissio. **Secundus** effectus est sanitas corporalis, si diuina sapientia id noverit infirmo vtiliter expedire. **Tertius** est: quia per istud sacm remittuntur peccata venialia et mortalia, que ignorat: vt in eadem auctoritate beati Jacobi. Et si in peccatis fuerit dimittentur ei. Jacob. 5. **Quartus** est diminutio pene peccati mortali debite. **Quintus** est gratie augmentum, que in hoc sacro confertur et augetur.